


quàm Climata septem. Post Ptolemæus recentior expertus est maiorem habitabilem, & quantam suo tempore reperit, tantam descripsit in Cosmographia. Nunc autem adhuc ultra partes habitabiles ab eo lignatas inueniuntur aliæ etiam habitatae, ut Suetia, Norduegia, & aliæ partes ualde Septentrionales, etiam in inferioribus Africæ uersus Austrum & in orientalibus Asiæ regna longissima, ita quòd nunc nostra ætate, totus penè ambitus terræ atq; maris perlustratus comperitur per mercatores, qui illuc deueniunt & reueniunt, quæ etiam uideri licebit in præfenti opere sphaerico ipsius terræ, ac in nouissimis cartis marinarijs, quarum nos plures etiam notabiles magnæ æstimationis ad manus habuimus in hac nostra descriptione. De Climatibus uide sequentem figuram.



De uentis, & mundi partibus ex quibus spirant.

CAPVT VII.

Veteres nauicularij duodecim uentis usi fuerunt, quatuor Cardinalibus, & octo collateralibus. Dicitur autem Cardinalis uentus, qui ab aliquo cardine, scilicet orientis, occidentis, meridiei, uel septentrionis spirat. Collateralis uero, qui à latere quatuor cardinum aliquo spirat. In meridiem, Austrum latini ponunt. Ex opposito in septentrionem, septentrionarium. In ortum uero æquinoctialem, Subsolanum. In occasum æquinoctialem, Fauonium. Quilibet illorum habet duos collaterales: nam Auster habet Euroaustum uersus ortum hyemalem, & Austroafricanum, uersus occasum brumalem. Septentrionarius habet Aquilonarem, uersus ortum æstiuum, Circium uero uersus occasum æstiualem. Subsolanus habet Vulturum in ortu hyemali, & Hellestionium